

D A N I A .

DANIAE descriptionem ex Saxone Grammatico hanc accipe; Dania mediis pelagi fluctibus intercisa, paucas solidi continuique tractus partes habet, quas tanta vndarum interruptio pro varia freti reflexioris obliquitate discriminat. Ex his IVTIA granditatis inchoamentique ratione Danici Regni principium tenet, quae sicut positione prior, ita situ porrectior, Theutoniae finibus admouetur. A cuius complexu fluminis Eydori interruuatione discreta, cum aliquanto latitudinis excremento, Septentrionem versus in Norici freti littus excurrit. In hac sinu, qui Lymicus appellatur, ita piscibus frequens extitit, vt non minus alimentorum indigenis, quam ager omnis exoluere videatur. Huic etiam FRESIA minor adiacet, quae à Iutia prominentia subsidentium camporum ac gremij deuexioris inclinata recessu, maximos frugum prouentus beneficio Oceani inundantis assequitur. Cuius refluxionis vis, plus utilitatis an periculi incolis afferat, ambiguum extat. Siquidem tempestatis magnitudine perruptis aestuariis, quibus apud eos maritimi fluctus intercipi solent, tanta aruis vndarum moles incedere consuevit, vt interdum non solum agrorum culta, verum etiam homines cum penatibus obruat. Post Iutiam, Insula ad Orientem versus FIONIA reperitur, quam à continentis angusti admodum æquoris interiectus abrumpit. Hæc sicut ab Occasu Iutiam, ita ab Ortu Sialandiam prospectat, conspicua necessariarum rerum vertute laudandam: quae amoenitate cunctas nostræ Regionis Provincias antecedens, medium Daniæ locum obtinere putatur, ab extimæ remotionis limite pari spaciore intercedente disperata. Ab huius Ortuo latere, Occasuum Scaniæ media pelagi disciscit interruptio, opimam prædae magnitudinem quotannis pescantium retibus adigere soliti. Tanta siquidem sinus omnis piscium frequentia repleri consuevit, vt interdum impacta nauigia vix remigij conamen eripiat. Nec iam præda artis instrumento, sed simplici manus officio capiatur. Ceterum Hallandia ac Blekingia ab integritate Scaniæ, ceu rami duplices ex vnius arboris stipite promeantes, Gothia, Noruagiaeque longe declinationis spaciis, diversisque recessuum interstitiis adnectuntur. Hactenus Saxo Grammaticus. Vide etiam Albertum Crantzum; Sebastianum Munsterum: apud quem habes quoque Petri Artopœij descriptionem Pomeraniae, cuius delineationem quoque in hac Tabula videre licet.

GOTHIA Insula Sueciæ Regi paret, sub Episcopo Lincopensi: agrum habet armento, equis, & boibus aptum: multa ibi venatio, & pescatio; pulcherrimo marmore, & omnibus rebus humano usui necessariis diues est. In ea est Visburi præclarum oppidum; olim Emporium si quod aliud Europæ celeberrimum. Extant etiamnum ruinæ marmoreæ, testantes veterem claritatem: hodie adhuc Cœnobio Benedicti ordinis, insigne: in quo est bibliotheca circiter duum milium & Auctorum & codicum veterum. hæc Olaus Magnus, & Iacobus Zieglerus.



ГАИАС
ГИСЯ
РУПУТ

